Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36451
Copyright: Melk, Benediktinerstift

fama beati viri lacararet. potestate dei
lumine oculorum eum privavit. At ille
adeo percussus et humiliatus cecitatis
molestia. et reatus sui consciencia ce-
pit torqueri: et quod hanc plagam
in confessorem christi peccando meruisset
publica voce confiteri. Et mirum in
modum quem prius dentibus detractio-
nis lacerabat: hunc modo laudibus
et preconiis usque ad sidera extollebat.
Conversus itaque ad penitenciam celerem
consecutus est indulgenciam: et per in-
tercessionem confessoris christi denuo est
illuminatus: ob cuius ultionem iusto
dei iudicio fuerat excecatus.

Simili modo cum in loco Baben-
bergensi ubi predictus confessor
tumulatus fuerat. de canoni-
zatione eius celebris fama haberetur.
vir quidam religiosus de signis que per eum
fiebant cepit dubitare: et per muta-
cionem exequiarum que in anniver-
sario eius celebriter fiebant intra se
metipsum. Qui mox oculorum caligi-
ne adeo est plagatus. ut postea per con-
fessorem christi sanatus. quantum sanctitas eius
apud deum posset in curatione ipsius
experiretur. Et mirandum est valde quod
de sanctitate tanti viri aliquis dubita-
re potuerit. cum consolacionum sanctitatem.
castitatis integritatem. elemosinarum
largitatem. humilitatis custodiam.
et omnia opera iusticie usque in finem vite
sue cum devocione summa servavit.
Sed sicut scriptum est. nemo propheta
acceptus est in patria sua. Vir ergo pre-
dictus defectu luminis gravatus
confugit ad patrocinia sanctorum. deprecans
ut per eorum suffragia sanitas sibi re-
stitueretur oculorum. Et cum ex dolore et

Huldus Iulii

labore. et assidua veniarum incurva-
cione fatigatus fuisset. lassatum corpus
somno reparavit. Cui dormienti
sanctus Wolfgangus eo quod eum familia-
rem in orationibus suis habuit apparuit.
et ait ei. Ora confessorem christi Hen-
ricum et liberabit te: quia quod eius
sanctitati derogasti. idcirco hec plaga
cecitatis venit super te. Post hanc
visionem expergefactus. ex consciencia
delicti sui intremuit. et ad tumbam
christi confessoris concito gradu. et
devota mente properavit. et procumbens
terre a confessore christi lacrimis et pre-
cibus suis ex cessibus veniam po-
stulavit. Qui statim exauditus. et pri-
stine sanitati restitutus. graciarum actio-
nes deo et sancto Henrico retulit. et mag-
nalia dei que circa ipsum deus fece-
rat religiosis viris quam nobis retulere

Caveant ergo ut ipse enarravit.
habitatores seculi domesticis
dei et civibus sanctorum detrahere:
quia necesse est eos hic et in eternum
perire. qui sanctorum bonis operibus solent
obloqui et invidere. Quamvis ergo
nunc tempora miraculorum non sint. signa
enim debentur non fidelibus sed infidelibus.
tamen cum aliqua nobis preter solitum cursum
ordinemque nature eveniunt. omni
veneratione amplectenda sunt: quatinus
et ipse qui mirabilis est in sanctis suis
honoretur. et tarditas nostra ad meliora
quoque tantis virtutibus accendatur prestante d[omino]:
In i. xpo. R. e. d. p. z. ss. v. z. ri.

Sanctorum. Prologus in passione
singulorum passiones. Fratres mei
nichil aliud sunt quam in-
structiones sanctitatis
vite. Corroborant enim animam et per-